Quæ quondam triſti peplo pullata gemebat,
Et Schwetzingenſes lacrymis madefecerat hortos, (a)
Muſa ſerenata nunc fronte incedit et ore
Subridens roſeo carmen peramabile cantat,
Inque ſonos lætos lugentis murmura buxi
Convertit, veteres rugas exuta genarum.
Ordo novus (THEODORE Tuum eſt opus immortale!)
Ordo novus, Diis Auſpicibus, ſurrexit: hic Ordo
Materies illi, hunc hilari modulatur avena.

Tu Palatinorum Lux, Gloria, Vita Salusque,
Supremusque novi THEODORE Magiſter et Author
Ordinis, in tantos timido mihi ſuffice vires
Auſus, nec tenues Muſarum deſpice luſus!
Tuque Leo Palatine, a quo neonatus hic Ordo
Nomen habet, rogo, voce tua comitare canentem,
Rugituque gravi juvenis fulcito Camœnæ
Exiguam vocem: ſic, te comitante, ſonora
Atque ſono gemino mage grata melodia fiet.

Tertia currit hyems, patriis ubi finibus abſens,
Atque peregrinis quæ ſint miracula terris,
Perluſtrans Electorali ſede morabar
Mannhemii. Qua luce ſolet ſolennis in aula
Pompa celebrari, quod denuo, Jane biformis, (b)
Ter fauſtis avibus pulli reſeraveris anni
Valvas; hujus ego ſpectatum feſta diei
Cum reliquis ſubeo penetralia Principis aulæ.

(a) *Vide* Poema idiomate latino (verſio enim illius germanica ad me non ſpectat) editum Mannh. a. 1768, de morte Sereniſſimi Principis FRIDERICI.

(b) *Janus* ob ſummam prudentiam, qua & præterita & futura ſemper reſpiceret, bifrons depingitur.

Limina turba frequens implet, populo ambitus omnis
Innumero fervet. Novus Ordo hac luce reſurget,
Qua noſter SALOMON PALATINUS quina regendo
Implet luſtra : (*c*) novi quamprimum proxima, dicunt,
Templa petent Equites. Aptam mihi ſeligo ſedem.
Hinc atque hinc longo prætorius ordine miles, (*d*)
Argento rutilans, ornat munitque ſacrata
Ad delubra viam, quadrato pumice ſtratam.
Quisque Ducum nudo dextras armatus utrimque
Enſe ſuis proſtat, profuſo ſplendidus auro.
Fit ſtrepitus : volitant et in ordine quisque ſuo ſtat.

It pompa. En ! Ductor præcedit paſſibus æquis,
Agmina longa trahens ſervorum : deinde ſequuntur
Bellica turma Ducum, quæ pro ratione cohortis,
Cui præſunt, aut argento diſtincta vel auro :
Sed color unus erat cunctis in veſte ſagata
Cæruleus. Quorum mixto veſtigia ſervant
Ordine, quos a conſiliis Themidosque Miniſtros
Eſſe ſibi voluit Princeps. Reſplendet in iſtis,
Gallia quas jactant, Hollandia et Anglia gazas,
Quasque Phryges docto depingunt pollice telas.
His ſeſe miſcent Equites, quos baltheus albus
Margine cæruleo pectus circumfluit, ex quo
Ordinis erecti pendent inſignia. Tandem
ELECTOR prodit, Procerum comitante caterva.
Ipſe omnes ſuperat ſplendore, uti ſidera Titan.
Gratia fronte ſedet, majeſtas fulget in ore :
Major majeſtas, neſcis, an gratia major ?
Metitur greſſus et lumine circumſpectat . . .

Quos

(*c*) A. 1743, 1. Jan. Sereniſſimus ELECTOR clavum imperii ſui in ſe moderandum ſuſcepit.

(*d*) Hæc deſcriptio pompæ, qua Sereniſſimus ELECTOR diebus aulæ ſolennibus templum ingreditur, longior, ac oportet, videri poſſet : verum, qui viderit, tantam illius eſſe majeſtatem aſſeverabit, ut verbis longe prolixioribus depingi mereatur.

Quos - modo - cunque ſuo vultu dignatur, amorem
Atque metum inſpirat. Quanquam: mage ſpirat amorem.
Conjugis a tergo ſequitur lectiſſima Conjux:
Cynthia Luna velut ſolem comitata, coruſcans
Auguſtos humeros diſtincta murice veſte:
Syrma fluens ulnis formoſus geſtat Ephebus.
In vultu pietas, et gratia ridet in ore:
Tota amor eſt, oculos obtutu faſcinat omnes.
Regali ſplendens DUX majeſtate BIPONTI
(Dux ingens animis, cui Divis æmula virtus,
Provida mens, rerum fato prudentia major)
It lateri comes et dextra ſuſtentat euntem.
Nympharum (*e*) peramœna cohors, quas Numina credas,
Nobiliumque, virens Ganymedis flore, Juventus
Supremum pompæ decus addit et agmina claudit.

Adſtitit inſignis mihi vir gravitate; quis ille,
Neſcio; vir comis (Palatinis indita virtus)
Forte peregrinis huc, inquit, vectus es oris?
Id facies loquitur. Quærenti talia reddo:
Non erras; alio tellus ſub ſole repoſta
Me genuit. Prima repetens ab origine narra,
Hujus, ſi placeat, quæ cauſa, quis Ordinis ortus?
Nota mihi pandam, dictis adverte, reponit:

Quo ſol Herculei flammata menſe quadriga
Terga Leonis adit, (*f*) poſtquam per tecta Dianæ
ELECTOR CAROLUS cervos agitarat et apros;
Lumina feſſa ſopor penetrat. Dat membra quieti.
Ecce tibi! in ſomnis cæleſtis imago Leonis
Principis aſpectum ſubiit. Fremit ore minaci,

Illi

(*e*) Per *Nymphas* intelligimus nobile Sereniſſimæ ELECTRICIS γυναικεῖον.

(*f*) Sol ingreditur ſignum Leonis 23. Julii, in eoque perſiſtit usque ad 23. Auguſti.

Illi grande caput, viva ſtant lumina flamma,
Turpe ſupercilium nares ſupereminet amplas,
Labra horrens ſetis, curvatos exerit ungues:
Ne trepides, Princeps! (ſic vaſtos ſolvit hiatus)
Ne trepides, ſacrum ſitiunt non ora cruorem:
Quæque hic arma vides (dentes monſtrarat et ungues)
Imperii ſolumque tuos acuuntur in hoſtes.
Ille fidelis ego Leo ſum, Rex ille ferarum,
Quem quondam Palatina Domus ſibi legit in hoſtes
Auxilium. Placuit nobis electio. Cura
Hactenus una mihi fuerat Palatina tueri
Arva, tuisque procul Laribus depellere, quidquid
Sive tuam patriæve queat turbare ſalutem.
Non hic Eoas (*g*) tigrides urſosve Trionis
Infeſtare vias aut exercere rapinas
Paſſus eram; pecori genus exitiale luporum
Finibus arcebam. Rapidos ſi forte latrones
Audaces inferre pedes aut quærere prædas
Accidat; horrendis rugitibus intono, moxque
Diffugiunt, alas addente timore, ſalutem
Quærentes pedibus ſilvis antrisque remotis.
Vah! quoties ultra Rhenum latumque Moſellam
Imperiique tuosque hoſtes dare terga coegi?
Hi cladis memores nunquam, mihi crede, revertent.

Hinc Pater Omnipotens, magni moderator Olympi,
Jupiter, ut dignos ſtatuat virtutis honores,
Conſilium cepit vili me plebe ferarum
Silvisque ereptum cæleſtibus addere regnis,
Sidereasque faces inter mihi figere ſedem,
Quo mea per totum fulgeret gloria mundum.
Nunc in Zodiaco (regio ſic dicitur illa
Cæli, qua rutilant duodena palatia Regum, Quos

(*g*) i. e. *orientales;* nam Oriens (ἠως *aurora*) tigridum fertilis eſt, uti Septentrio urſorum. *Eoasque domos Arabum* .... Virg.

Quos apud illuſtris ſuevit divertere Phœbus,
Quando vias ſolitas per totum perficit orbem)
Hic alta veluti ſpecula noctuque diuque
Excubias vigilo, ne forte exercitus hoſtis
Irrumpat terrasque tuas Mavorte (*h*) laceſſat,
Queis ego præſidium juratus ferre ſpopondi:
Nec piget hos deinceps tibi continuare labores.
Aſt animi grati pignus mea cura repoſcit.

Nunc quintus quatuor poſt luſtra abſolvitur annus,
Ex quo felices regni moderaris habenas;
Quos ego per caſus, per quæ diſcrimina rerum
Te ſalvum populoſque tuos, THEODORE, tot annis
Vexi! Camporum viridis te forte juventa
Elicit ex Aula; diſperſis nubibus auras
Tempero: cura domi patriæ te detinet; adſto
Præſidium foribus: venando regna Dianæ
Si peragrare juvat; nemorum per opaca vagantes
In caſſes compello feras: ubicunque moreris,
Pello pericla procul. Sed, cedo, ubi grata voluntas?
(Ut refrico vulnus!) memori procul exulo corde.

Majores Proavique tui mercedis honores
Ut mihi conſtituant, ſcutis ſimulacra Leonis
Inſculpſere ſuis: pariles mihi reddito grates.
Pectore dependens viginti quinque tuorum
Splendeat effigies noſtri ſpectabilis auro.
Nuper ab Auguſta ſurrectus Conjuge fauſtis
Auſpiciis Ordo (*i*); nomen de nomine geſtat
Authoris: lætus floret ſemperque vigebit,
ELISABETHA! Tuas laudes famamque perennans.
Quid? ſi authore novus pariter te ſurgeret Ordo

(*h*) *Mavors* five Mars. *Sic ego, ſic poſita dixit mihi caſſide Mavor.*
(*i*) A. 1766. Sereniſſima ELECTRIX noſtra Ordinem inſtituit ELISABETHA dictum.

Nomine de noſtro : ſic gloria noſtra tuique
Nominis æternis ſtarent præconia ſæclis.

Ordinis eſto Leo ſignum (*k*); quem baltheus albus,
Lævo decurrens humero per pectora, parte
Suſtineat dextra. Tantum hoc inſigne MERENTI
Detur, quinque ſuis qui ſe per luſtra probavit
Dignum ſervitiis, hoc ut cumuletur honore:
Totque legas Equites, quot regni fræna gubernas
Annis : quin etiam rivales reſpuo; quare
Effigiem noſtri qui vult portare Leonis,
Dimittat reliquas. Viginti quinque ducatos,
Inſuper expendat, mihi queis mactanda quot annis,
Hac redeunte die, curetur victima; ſicque
Æterno tibi me conjunges fœdere, fœdus
Quod me conſtringet Palatinas usque tueri
Oras. Neve tibi dubitandi cauſa ſuperſit,
Num falſa in ſomnis te ludat imagine Morpheus?
Iſtud habe ſignum: hæc noſtri, quam cernis, imago
Divina fabricata manu (*l*) ſplendeſcit in auro,
Atque ſuper menſam recubat; curabis ad hujus
Normam pro ſociis reliquas, annique ſequentis
Prima dies et prima tui, qua luſtra videbis
Ter quinque imperii, ſelectæ dona Coronæ
Diſtribuet . . . Nunc ſurge memorque hæc dicta teneto! . . .
Dixerat, excuſſisque jubis irrugiit oris
Antro, rugitus quales ſolet edere, quando
Armatum jaculis accedere conſpicit hoſtem.
Quo ſtrepitu Princeps exterritus, illico ſtrato
Proſilit, atque oculis fugit omnis inertia ſomni.
Miratur, dubitat, credit, negat, obſtupet, hæret. Pro-

(*k*) Hæc Ordinis ſtatuta ex *Novellis Manuh.* decerpta ſunt, uti illa, quæ ſeriem hujus ſolennitatis *pag. ſeq.* concernunt.

(*l*) Si Gallorum Lilia cælo delabi potuerint; cur non eodem fundamento hujus Ordinis Inſigne Divinum munus eſſe fingatur? vid. GUILIELMUM BRITO in *Phillipeide*, quem refert SCHÖPFLINIUS *Hiſtoria Controverſ. Illuſtr. Clodovei.*

Protinus ad menſam turbatus; et ecce Leonem! (*m*)
Inſignem forma, ſtantem, diademate cinctum
Tempora. Mirum! inter medias auri aureus ardet
Flammas; cui ſuper inſiſtit, focus aurea crux eſt;
Aurea vox micat hæc in fronte legenda: MERENTI;
Literulas numerosque averſa in parte, notantes
Auguſtum CAROLI THEODORI nomen et annum,
Pileus impendens Electoralis obumbrat.

Interea Elector meritos meditatur honores
Queis deferre velit, leges et jura revelat
Ordinis. Hac tandem, quæ fauſta illuxit in anno,
Prima luce, recens in lucem eſt editus Ordo.
Ipſus ego præſens oculis ſolennia teſtis
Accepi; verbis, aures advertito, reddam:
Altera vix abiit præſentis temporis hora,
Elector cum ſublimis ſolioque tremendus
Majeſtate ſedet, ſolium cingente Corona
Magnatum: qualis Phœbus comitatus ab aſtris
In cælo empyreo. (*n*) Valvæ panduntur et ante
Cunctantes Equites intra conclave ſubibant.
Poplite quisque ſuos flexo teſtatur honores;
Hinc illinc ſolii dextraque et parte ſiniſtra
Ordine conſiſtunt. Hos CANCELLARIUS inter
Ordinis ac Aulæ, cui larga eſt copia fandi,
Summis in patriam meritis geſtisque celebris,
De ſtatione ſua paulum progreſſus et iſtis
Adſtantes Equites dictis compellat: Adeſtis!
Lucida per cælum Palatinum Sidera! pignus
Immortale ſui, quo nos dignatur, amoris
Ex immortalis noſtri CAROLI THEODORI

(*m*) Vide Nov. cit. Mannh. an. 1768.

(*n*) Cælum dicitur *empyreum* ab ἐν & πυρ, *ignis*.

(Quem Superi Pyliam (o) jubeant æquare ſenectam
Felicesque ſuos per plurima luſtra videre)
Summa accepturi dextra: quo pignore dignam
Veſtris mercedem meritis ſtatuiſſe putavit.
Jamjam bis denis annis et quinque probaſtis
Vos fidos Electori patriæque Miniſtros:
Caſibus in variis tot jam ſpectata per annos
Veſtra fides largo nunc munere compenſator.
Pectore mox noſtro Palatini inſigne Leonis
Divum fulgebit munus. Nos inde monemur,
(Id Leo nos meminiſſe jubet) queis viribus usque
Communem patriæ deceat curare ſalutem.
Huc operæ, ſtudium, curæ noſtrique labores
Tendant, hæ tanto grates pro munere ſunto.

Facundo vix hæc effuderat ore, receſſit.
Quisque Equitum tum compellatus nomine; factus
Auguſto propior ſolio, curvatus adorat
Auguſtum; cui Supremus CAMERARIUS Aulæ
(Qui vivet patriæ quoque poſt ſua fata ſuperſtes)
Ordinis aurato gemmam protendit in orbe.
Accipit imponitque humeris, Equitique poteſtas
Fit ſuavi Largitoris dare ſuavia dextræ.

Poſt ubi quisque ſuum retulere inſigne; loquendo,
Qui fuit exorſus, finem ſolennibus addit:
Proh! quantum, Socii, nobis hac luce decoris
Adfulſit: quanti ducenda hæc gratia! quantas
A nobis grates, animis verſate, repoſcat.
Auratus ſplendore ſuo Leo pectora complet,
Pectoribusque faces ſubdat, ſtimuletque Leonis
Sumere virtutem et ſocias conjungere dextras

Ad

(o) *Pyliam* ſive Neſtoream. *Neſtor*, Rex Pyli Ducentenario major cum quinquaginta navibus ad obſidionem Trojæ veniſſe & tria ſæcula vixiſſe dicitur.

Ad defendendam patriam patriosque Penates.
Insuper hæc oculis quoties occurret imago,
Et gratæ concessa recurrat gratia menti.
Pergite vos tales patriæ præstare deinceps,
Quales officiis vos hactenus exhibuistis . . . .
Dixerat, inque suum Princeps conclave recessit;
Et nova turma Equitum de munere læta regressa est.

Talia dum Socius, nova panditur inter eundum
Scena mihi. Expansis patet ad triclinia valvis
Gratum iter. Intro per excubias; mirabile visu!
Quinquaginta intus famuli, quibus ordine longo
Cura penum struere: hi centum mantilia formis
Detorquent; alii crystallina pocula ponunt;
Hi Bacho (*p*) mensas onerant, Cereremque canistris
Expediunt alii, statuuntque sedilia et orbes.
Obstupeo gazas; auro nam tota supellex
Splendet et argento. Hic Princeps Equitesque sedebunt
Convivæ, referunt . . . Verum supereſſe monebat,
Qui lateri Socius fuerat, digniſſima visu,
Quæ dum pompa redit templis lustrare juvaret.
Currit clavigerumque (*q*) vocat, quique ostia pandit
Ad sacra Musarum Pindi penetralia, sedem
Docta Minerva tuam. (*r*) Hinc inde ad limina templi
Marmore cælatus niveo cum Conjuge prostat
Fundator CAROLUS, Musarum fautor et auctor.
Non procul hinc (*s*) *Virtus*, *Ars* atque *Scientia* rident,
Vivere quas præstans in imagine fecit Apelles:

(*p*) *Bachus* (quem aliqui ipsum Noëmum fuisse autumant) usum vini tradidit; unde Deus vini vocatus. Accipitur pro ipso vino, uti *Ceres* frugum ferendarum inventrix pro pane.
(*q*) *Clavigerum verbis alloquor ipse Deum.* Ovid. L. 1. Fast.
(*r*) Descriptio hujus Bibliothecæ mutuata est ex Calendario minore Palatino ad an. 1768.
(*s*) Visitur ea pictura in tegumento Bibliothecæ, gallice *Platfond.*

Temporis ut ductu ſcrutantur et abdita *Veri*,
(Quam veteres dixere Deam) patefacta revelant.
Auguſto ſedet illa throno (*t*), cui proxima *Pallas*
Quaque via Divam valeas accedere, monſtrat:
Nempe tibi ſi ſint in amore *Scientia*, *Virtus*,
Quæ Divæ ſolium miro ſplendore coronant.
Harum ſub pedibus *Scelus*, *Ignorantia* ſquallent.

Parjetibus rutilat ſeries perlonga librorum
Proque ſuis Phœbi ſacra templa tapetibus ornat.
Trina libros diſtinguit contignatio, (*u*) quarum
Prima refert ortus, progreſſum, fata neceſque
Regnorum et veterum præclare geſta virorum.
Præteriti quidquid viderunt temporis æva,
Scriptorum ſtudio chartis ſignata videntur.
Altera Panſophiam bellasque recondidit artes:
Theioſophos ſuprema fovet Themidosque clientes.
Deſine bullatis, Ptolomæe, extollere verbis (*x*)
Qualiacunque tibi plures collecta per annos
Scripta: dabo numero tibi plura fuiſſe; minora
Sed mole. Hic decies ter mille volumina cernis,
Annorum bis quinque gravi congeſta labore,
Imperio THEODORE! Tuo, largaque ferente
Te ſumptus dextra . . . . Medio patet area templo.
Ecce locum! quo Diva vocat bis quolibet anno,
Quos ſibi ſacrorum Pallas vult eſſe miniſtros.

Bis

(*t*) *Veritas.*

(*u*) Scriptores, qui in hac Bibliotheca proſtant, in tres claſſes ſeu totidem contignationes dividuntur. In prima Hiſtoriographos; Philoſophos cæterarumque artium & ſcientiarum cultores in altera; in tertia demum Theologos & Jurisconſultos deprehendis. Reliqui ſeparato in loco aſſervantur.

(*x*) Inſignis fuit Ptolomæi Philadelphi, Aegyptiarum Regis Bibliotheca, in qua librorum ultra ſeptingenta millia numerabat. *Vide Brev. Chronol.* P. 3.

Bis ſeni numero gemino cum Præſide Myſtæ:
Inſuper, indictos cœtus qui dirigat, alter;
Alter et in tabulas qui ſcit ſecreta referre.
Arte viros varia cultos ſcriptisque celebres,
Qui dum perpoliunt ſtudiis communibus artes,
Splendorem patriæ conſervant amplificantque.
Hic toties Doctrina refert ſua præmia Victrix,
Doctius ingenii quæ ſolvit acumine nodos.
Hæc et plura mihi Socius, quæ ſi omnia vellem,
Perlongum narrare foret . . . . Deflectimus inde,
Atque locum petimus, tragicus quo Phœbus et Orpheus (y)
Naiadumque chorus ludis mixtisque choreis,
Orgia dum Bachus celebrat, (z) ſpectacula donant.
Splendorem, formam, decus, ornamenta theatri
Dum ſtupeo; Socius ſermone ſilentia rumpit:
Lux ſi ſtata venit, dum ſcena recluditur, inquit,
Ampla theatra patent, millenis ignea tædis.
Ecce tibi! montes, campos, vaga flumina, pontes,
Valles, caſtra, arces, bellantes ordine turmas;
Hos exire, illos invadere, vincere, vinci,
Hos dare terga, alios fugientum terga prementes.
Nunc ſubito Medi te cernis Hydaſpis ad ora (a).
Prodit Alexander ſtricto mucrone tremendus (b),
Agmina diſponit, pugnat vincitque phalanges
Hoſtis. Congreditur Porus; ſed Marte ſiniſtro
Vincitur, exuitur regno ſponſaque: ſed ecce!
Mutata ſubito ſcena, regnoque potitur

Et

(y) *Orpheus*, qui cithara ſua feras, ſaxa & inferos moviſſe dicitur, ſacra Bachi inſtituit.

(z) i. e. circa Bachanalia.

(a) *Hydaſpes* fluvius Indiæ per Parthos & Medos fluens.
. . . *Populi Lydorum, aut Medus Hydaſpes.* Virg.

(b) Illo anno exhibebatur ALEXANDER in India, PORI victor.

Et ſponſa. Non hic Terpander Lesbius unus (*c*),
Sed plures et ad invidiam Pandione natis (*d*)
Artifici promunt criſpatas gutture voces.
Hic geminæ Dryades decertant voce, ſonoque
Parthenopen (*e*) longe ſuperant, ſociasque ſorores.
Quas ſibi delicias optarint lumina et aures,
Hic reperire licet. Videas, ni credis, et audi,
Meque horum dixiſſe tibi pauciſſima dices.

Hactenus ille. Sed ad ſtationem tendere primam
Hora monet. Jam pompa redit, quo templa petebat,
Ordine. Conſiſto rurſum mea lumina paſcens.
Tranſiit et Socio repetitis gratibus actis,
Accepi et parili reddebam voce : valeto.

Quæ mihi tum Socius retulit, celebranda putavi
Carmine, ne noſtras culpet vecordia Muſas.
Hunc tibi, Lector, habe, quem diximus, Ordinis ortum.
Floreat æternum decori patriæque ſaluti!

FINIS.

(*c*) *Terpander*, dictus a natali ſolo *Lesbius*, cantor fuit ætate ſua celeberrimus, qui et Lacedæmones ſeditioſos cantus ſuavitate ſedavit.

(*d*) i. e. *Philomelis*. Erat autem *Philomela* Pandionis Athenienſium Regis filia, cui a ſemetipſo violatæ Tereus, Thraciæ Rex, linguam abſcidit, ne facinus divulgaret. Deorum tandem miſeratione in avem ſui nominis converſa eſt.

(*e*) *Parthenope* Syrenum una, quæ, quod cantu ſuo præternavigantem Ulyſſen in ſcopulos pellicere non potuerit, præ dolore in mare ſe præcipitem dedit.